1613
10 Mai

DECRETVM SACRÆ CONGREgationis S. R. E. Cardinalium, à ſanctiſsimo D. N. Paulo Papa V. ſanctaque ſede Apoſtolica ad indicem librorum, eorumdemque permiſsionem, prohibitionem, expurgationem, & impreſsionem in vniuerſa Republica Chriſtiana, ſpecialiter deputatorum, vbique publicandum.

PARISIIS,
Iuxta exemplar Romæ Editum.
CIↃ. IↃC. XIII.

DECRETVM

Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium à ſanctiſſimo D. N. Paulo Papa V. ſanctaque ſede Apoſtolica ad indicem librorum, eorumdemque permiſſionem, prohibitionem, expurgationem, & impreſſionem in vniuerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputatorum, vbique publicandum.

CVM ſuperioribus diebus ad nos perlatum ſit nonnullos libros, qui partim paucis abhinc annis, partim menſibus præteritis, in lucem prodierunt, varias hæreſes atque errores continentes, paſſim circumferri, maxima cum Catholicorum pernicie, decreuimus illos omnino prohibendos eſſe, ne ex eorum lectione grauiora in dies damna in tota Republica Chriſtiana oriantur. *Quare nos Paulus* Sfondratus Epiſcopus Albanenſis ſanctæ Cæciliæ. Robertus Bellarminus tt. ſanctæ Mariæ in via. Io.

Garzia Mellinus SS. quatuor. Fabricius Verallus S. Auguſtini. Fr. Auguſtinus Galaminius Aræ cæli: presbyteri S. R. E. nuncupati Cardinales, à ſanctiſſ. D. N. Paulo diuina prouidentia Papa V. ſanctaque ſede Apoſtolica ſuper librorum permiſſione, prohibitione, expurgatione, & impreſſione in vninerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputati, infraſcriptos libros pręſenti decreto, quocumque idiomate, & vbicumque impreſſos, prohibemus, ſingulos in ſua Claſſe, iuxta regulas indicis reponendos: *Decernentes*, quod nullus deinceps eos cuiuſcumque gradus, & conditionis ſub pœnis in ſacro Concilio Tridentino & in indice librorum prohibitorum contentis, audeat imprimere, aut imprimi curare: vel quomodocumque apud ſe detinere, aut legere, & ſub ijſdem pœnis quicumque nunc illos habent, vel habuerint in futurum, locorum ordinariis ſeu Inquiſitoribus ſtatim à præſentis decreti notitia exhibere teneantur. Libri autem ſunt infraſcripti;

1 *Abrahami Sculteti Grunbergenſis idea concionum. Hanouiæ, apud Claudium Naruium. 1610.*

2 *Bartholomæi Kerkermani Dantiſcani Gymnaſium logicum. Hanouiæ apud Guilielmum Antonium. 1605.*

3 *Philippi Mornay Pleſerij liber de inſtitutione, vſu, & doctrina S. Sacramenti Euchariſtiæ. Item alter inſcriptus, Miſterium Iniquitatis.*

4 *Guilielmi Barclai. I. C. de poteſtate Papæ, an & quatenus, &c. liber poſthumus. 1609.*

5 *Iohannis Henrici Alſtodi Syſtema mnemodicum. Francofurti. 1610.*

6 *Ioannis Barclai pietas, ſiue publicæ pro regibus ac principibus Catholicis & priuatæ pro Guilielmo Barclao parente, vindiciæ aduerſum Robertum S. R. E. Cardinalium Bellarminum. 1612.*

7 *Liber inſcriptus, Theologia Germa-*

nica ex Germanico tranſlatus, Ioanne Theophilo interprete. Antuerpiæ 1558. apud Chriſtophorum Plantinum, abſque nomine auctoris.

8 *Liber inſcriptus, de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate. Pariſiis, anno 1611. abſque nomine auctoris.*

9 *Liber inſcriptus, Apologia Cardinalis Bellarmini pro iure Principum aduerſus ſuas ipſius rationes, pro auctoritate Papali Principes ſeculares in ordine ad bonum ſpirituale deponendi: auctore Rogero Vviddinghtono Catholico Anglo. 1611.*

10 *Liber inſcriptus, Ex reſpõſione Sinodali data Baſileæ Oratoribus D. Eugenij Papæ IV. in congregatione generali 3. Non. Septemb. 1432. pars præcipua, & in eam commentarius. Coloniæ ſumptibus Theophili Franci, 1612. abſque nomine auctoris.*

11 *Nicolai Ciſneri orationes de vita Othonis tertij & Friderici ſecundi Imperatorum & de Conrado vltimo Succiæ*

gentis Principe. Argentorat. apud Lazarum Zetzneri. 1608.

12 *Rodulphi Godeni phyſicæ completæ ſpeculum. Francofurti. 1604.*

13 *Monita Politica, ad Sacri Romani Imperij Principes. Francofurti, excudebat Nicolaus Hoffmanus impenſis Petri Koppij. 1609.*

In quorum fidem manu & ſigillo illuſtriſſimi & reuerendiſſ. D. D. Cardinalis ſanctæ Cæciliæ Epiſcopi Albanenſis præſens decretum ſignatum & munitum fuit die x. Maij, 1613.

P. Epiſc. Albanenſis. Cardinalis S. Cæciliæ.

Locus ſigilli +. *Regiſt. fol.* 48.
Fr. Paulus Picus. ord. præd Secretarius.

Romæ ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ.

Case
Wing
folio
.Z
144
.A1
v.1
no.27
THE NEWBERRY LIBRARY